DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS O'MALEY,

HIBERNUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

HENRICO BLAKE, M. D.

&c. &c.

OB PLURIMA BENEFICIA

QUIBUS AB EO

AUCTOR AFFECTUS EST,

GRATISSIMO CUM ANIMO

HÆC DISSERTATIO

DEDICATUR A

T. O'MALEY.

J. VEITCH, M. D.

NOSOCOMII COMITATUS GALVEÆ CHIRURGO,

PROPTER CONSILIUM EJUS

NECNON ET AUXILIUM

IN REBUS MEDICIS

PERLIBERALITER COMMUNICATA,

MULTAQUE ALIA AMICITIÆ DOCUMENTA,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM FIDELITATE,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

THOMA O'MALEY Auctore.

CONVENIT inter eos, qui Medicinam excoluerunt, dimidium gentis humanæ febribus abripi, hujusque maximam partem in his regionibus tunc temporis a Febre Continua vitam amisisse. Per classes exercitusque grassatur, nec minus carceres, nosocomia, et nostra domicilia infestat. Periculum a corporibus hocce morbo correptis, et squalidorum vestimentis, nobis immi-

net. Nunc effluvia iis exhalata, tantis viribus quandoque pollent, ut vitam animalem brevi tempore extinguant; nunc tam debilia sunt, ut miseri ægroti longo tardoque morbo languescant.

HISTORIA MORBI.

Febris Continua languore, lassitudine, oscitatione et constrictione præcordiorum incipit; pallescit primo vultus, constringitur cutis, rigores et horrores, inappetentia, capitis et totius corporis dolores migrantes, et respirationes parvæ et frequentes adveniunt, symptomatibus vespertinis crescentibus: postea ægroti ore incandescit rubor, cutis calore aucto, lingua arida, inquietudine, cephalalgia, nausea et non raro vomitu, cum site et obstipatione existentibus. Pulsus sæpissime plenus et frequens primo est, sed nonnunquam debilis et parvus; multis in casibus magnam determinationem sanguineam capiti et delirium ferox videmus; in aliis typhomaniam et extremam debilitatem. Cerebrum, pulmones, ventriculus, et

intestina sunt partes internæ potissimum affectæ, coma, delirium, asphyxiam vel syncopen sic excitantes simul vel seorsum. Delirium ferox plurimum occurrit gradibus morbi maturis et ægris juvenilibus plethoricis, sed coma vel typhomania præcipue gradibus provectioribus apparens, nec vasorum plethoræ, nec cerebri irritationi sed atoniæ debetur. Asphyxia in febribus inflammatione tracheæ, bronchiarum, pulmonum vel pleuræ adducitur. Syncope nascitur inflammatione in nonnulla parte membranæ mucosæ, ventriculi et intestinorum existente, et frequenter diarrhœam excitante. Multis in casibus patefacit incisio cadaverum nulla signa morbi, vel inflammationis cerebri, pulmonum, vel aliorum viscerum; frequenter tamen in cerebro, pulmonibus, vel intestinis, inflammationem vel effusionem seri, sanguinis, vel fluidi mucopurulenti, invenimus; et paucis in casibus instat gangræna intestinorum. Fit nonnunquam inflammatio vel obstructio hepatica, et perraro morbus medullæ spinalis; tamen in nostræ plagæ febribus non usitatum est, hæc postrema symptomata frequenter videre.

CAUSÆ EXCITANTES.

Contagio et frigus præcipue febrem inducunt, sed debilitas, immunditia, et motus animi deprimentes, ut causæ prædisponentes agunt.

DE CAUSA PROXIMA.

Quam longe optima est doctrina celeberrimi Culleni; nonnullis in casibus tamen anceps esse potest; dixit causam excitantem in systemate nervoso effectus sedantes producentem, debilitatem sic afferre, et actionem cordis et arteriarum minuere, etiamque spasmum capillarium efficere: deinde conditionem spasmodicam capillarium cor et arterias incitare, et vim medicatricem naturæ vel reactionem inesse, quæ duratura sit, si, ut Cullenus dixit, sic se res habet, donec cedit spasmus. Non dubito quin postrema pars theoriæ Doctoris Culleni ambigua sit, namque scimus, circiter morbi terminum, dum spasmus restat, et causa excitans maxime

agit, tamen reactionem non raro diminutam esse, dummodo remediis stimulantibus et roborantibus opus sit: quare credibilius est, me judicante, crisim febris reactione spasmum vel causam excitantem, superante non oriri, sed, hac opinione abjecta, causam excitantem cujuscunque naturæ, tempore definito vim noxiam per totum systema perdere, et sensim decedere, cum cessatione spasmi capillarium, et omnium aliorum symptomatum. Hodie in scholis Parisiorum docet BROUSSAIS, febrem incitari membranarum ventriculi vel intestinorum inflammatione; idcirco illum oportet conjungere Febres et Phlegmasias CULLENI Systematis. A Doctore ALISON dictum est, se, in nosocomio "Hôtel Dieu" nominato, casus vidisse, qui "*les Fievres Enterites*" vocantur, ab inflammatione membranæ mucosæ intestinorum, opinione hujus medici Gallici, orientes; tamen nulla tensio, nulla obstipatio, vel aliud symptoma inflammationem illic indicans, denique nullus dolor pressura constitit; nihilominus inflammationem topicam putaverunt hujus febris esse causam, quæ a nobis reciperetur, ut febris communis continua ab ulla causa usitata oriens.—

Etiamque si opinio, quam BROUSSAIS de Febre Continua promovet, vera sit, ejus ortus, scilicet, ab inflammatione membranarum ventriculi et intestinorum, decet emeticis et catharticis drasticis perparce uti; intelligimus tamen, præsertim post editionem libri Doctoris HAMILTON, usum catharticorum liberrimum in his casibus exitum felicem habere. Suspicor doctrinam BROUSSAIS, sempiternam oblivionem subituram esse, velut Systema Brunonium, quod debilitatem solum causam fuisse febris docuit: utcunque me oportet narrare, hujus Professoris doctrinam in GALLIA maxime utilem fuisse, universa introductione rationis medendi antiphlogisticæ. Doctor MILLS, medicus cel. in Eblana, ut nunc probe memini, in varia genera, sicut Cephalicum, Pneumonicum, Hepaticum, Gastriticum, Enteriticum, Febres dividit; nihilominus apud multos medicos non potest valere, namque plurimi existimant optimum esse Systema CULLENI.

Scimus gradum inflammationis internæ in Febre Idiopathica aliquando existentem, eo minorem esse qui phlegmasiis instat, et primum genus inflammationis incitari ulla causa occasionali com-

muni, cui debilitas præcedens febrilis dat actionem; alterum esse inflammationem veram idiopathicam variis causis orientem, febre symptomatica sequente; simul quæ formant phlegmasiam idiopathicam.

DIAGNOSIS.

FEBRIS idiopathica in ætate puerile Hydrocephalo Acuto partim similis est; sed hydrocephali cephalalgia primo advenit cum intermissionibus, in febre præstat constantiam: in Hydrocephalo ventriculus nausea vel vomitu confestim afficitur, quum ægrotus in toro residit; multo minus in febre: porro brevi tempore habemus talia altera signa hydrocephali, qualia sunt strabismus, pupillarum dilatatio, obstipatio pertinax, et singulo gradu pulsus variationes. Propria symptomata primaria Scarlatinæ vel Rubeolæ temporis progressu eos morbos a Febre Continua dignoscent; sed vomitus et affectio epigastrii, quæ sunt in variola potissimum acerba, non raro primo aditu febris sæviunt.

PROGNOSIS.

Ut accurate prognosin formemus in hoc æque ac plurimis aliis morbis, perpendere opus est symptomatum quæ sese manifestant gravitatem etiamque benignitatem. Signa quæ consolationem præbent, sunt diaphoresis lenis et calida per totum corpus diffusa, somnus per noctem rediens, e quo facile est ægrotum excitare, diarrhœa mitis, si levat dolorem capitis, epistaxis nonnunquam, si non profusa est, pulsus mollis et minus frequens, lingua madida et nitida indicans spasmi ventriculi et cutis remissionem.

Contra, hæc signa quæ terrorem incutiunt, et sæpe lethalia evadunt, sunt, coma, cum pallore et algore cutis, delirium, et in capite magna congestio sanguinis frequenter effusione desinens, ferocitas oculorum, magna dyspnœa vel tussis, diarrhœa profusa debilitatem adducens, præsertim cum tympanite; sensuum magna tarditas, fauces aridæ sine site, urina, antea rubra, subito limpida facta, sic coma vel delirium minitans; sudores

profusi et frigidi, in partibus corporis quibusdam tantum erumpentes; hæmorrhagiæ *passivæ* putredinem indicantes, dejectiones alvinæ et urinæ inscio ægro redditæ, aphthæ, petechiæ, maculæ et vibices, subsultus tendinum, deglutitio difficilis, singultus et spasmi, extrema frigida, pulsus parvus, intermittens vel abnormis, oculi immobiles, vultus collapsus, cum faciei expressione ab HIPPOCRATE eleganter descripta, nimirum Facie HIPPOCRATICA.

Hæc omnia symptomata, vel eorum nonnulla juncta, mortem instare testantur, brevissime vitæ scintillam extinguunt, miseriisque finem imponunt.

RATIO MEDENDI.

CONSILIA medendi sunt tria, ut docet CULLENUS; primo, reactionis violentiam coercere; secundo, debilitatis causas removere, vel effectis obstare; et tertio, ad putredinem proclivitatem emendare.

Inter remedia quibus consilium primum peragitur, magnam lucem, sonum, et motum inuti-

lem evitare monebo; quamobrem si æger delirio correptus, lecto oriatur, blanditiis eum demulcere conemur, sed coercitione potente non decet uti. Namque operam daret ut impedimenta omnia superaret, quod illi multo pejus esset sursum deorsum ambulandi exercitatione: et verisimile est eum extemplo ad somnum rediturum esse. Cuique febricitanti usui essent aër frigidus et ventilatio ægri sensibus ordinati; præponendi sunt potus frigidi diluentes, nempe decoctum hordei acidulatum, serum lactis, vel aqua. Emetica, ob potentiam febrem discutiendi, et præsertim ubi sordibus ventriculus oneratur, utilia; sed si impetus sanguinis caput versus nimius est, periculosa sint. Purgantia salina et enemata olim laudata sunt, sed hodie plurimum utimur efficacissimis; tamen a medicis probatum est, nonnunquam emeticis et semper catharticis ullo adventu febris opus esse. In dosibus nauseam excitaturis, usus antimonii præparationum, causa diaphoresin adducendi (ut exponit Cullenus), priscis temporibus patronos habuit, et exitus felix, ut egometipse vidi, non raro secutus est intra duos vel tres primos dies morbi, sed non serius.

Attamen nunc fortiora et certiora remedia habemus; ex his unum est affusio frigida. Hoc remedium maxima celebritate nuper potitum est, et merito; namque si mox post impetum adhibeatur, ubi calor stadio naturali major surgit, et ad ullum viscerum nulla est determinatio sanguinea, plurimum auxilii confert; calorem imminuit; sudorem levem et æqualem excitat; sitim sublevat; et nunc æger somno fruitur, et ab eo expergiscitur bene renovatus, et cephalalgia ejus submota. Quando ægroto parvum roboris est, cum pulsu tenui et debili, cute pallida vel sudore operta, et corporis calore imminuto; quando minima tussis vel dyspnœa pulmones adoritur; vel indicant tormina aut diarrhœa irritationem intestinorum, hoc remedio nunquam utendum est. Itidem quando inest determinatio ad caput sanguinis, me judice, necessarium erit venæ vel arteriæ sectione primum uti. Postremo, a Doctore Currie agnoscitur, efficax non esse, nisi cum his limitationibus, et secundo vel tertio die tentatum. Nec obliviscendum est, multis in casibus ablutionem frigidam vel tepidam haud sine commodo

insigni exerceri, ubi effusionem non possumus experiri.

Missio sanguinis plurimo esse usui fertur ab insignibus medicis; tamen multam circumspectionem postulat, et procul dubio creberrime in pejus vertitur. Si videamus diathesin phlogisticam cum inflammatione topica, beneficium sanguinem deplendi nunquam dubitamus; hac conditione tamen, ut quantitas apte ordinetur: sed semper in memoria tenendum, in Febre Continua hoc remedio caute uti nos oportere, propter magnam debilitatem quæ nonnunquam paucos intra dies ægrum invadit.

Spero neminem sic perversum esse, ut in inflammatione fortuita Febris Continuæ idiopathicæ, missionem sanguinis adhibeat, æque ac in phlegmasia ulla idiopathica, veluti phrenitide vel pneumonia. Plerisque in casibus, ubi tussis vel dyspnœa accidunt, depletione sanguinis moderata opus sit; sed plerumque vesicatoria et expectorantia symptomata levabunt, dum eodem tempore, ex nimio frigore ægrum male afficere evitamus. Quando multum dolet caput, cum magno delirio, missio sanguinis moderata, vel topica vel generalis,

pro re nata utenda est; simul atque abraduntur capilli, applicationes aquæ frigidæ, et postea emplastri vesicatorii, multum adjuvant; contra, si comate vel typhomania febricitans obruatur *, etsi quibusdam abnegetur, emplastrum vesicatorium, toti capiti applicandum, omnibus aliis remediis magnopere præstat. Digitalis proponitur, sed, mea opinione, in febre remedium incertum est; et usus aptior erit phlegmasiis, quam *subinflammationibus febrium*, a Doctore O'BRIEN sic vocatis.

Calomel cum ipecacuanha, et calomel cum opio, data sunt, donec ptyalismus excitatus sit, quando interdum febris decessit. Hæc methodus medendi, ut opinor, ambigua est; sed certe, si functiones jecoris male se habeant, hydrargyrus utilis erit.

Secundum nostrum consilium debilitatem removendi, id optime peractum est usu vini. Doctor CULLEN dixit: "Wine has the advantage of being grateful to the palate and stomach, and of having its stimulant parts so much diluted, that it can be conveniently given in small doses,

* Vide DARWIN et alios.

so that it may be employed with sufficient caution; but it is of little service, unless taken pretty largely." Quando nulla signa phlogistica itaque præter modum valent, sed debilitas, cutis sudoribus gelidis operta, pulsus parvus, debilis, et facile compressus, stupor, typhomania, cum subsultu tendinum, urgent, vinum aqua dilutum adhibe liberaliter, donec ea symptomata cedant; deinde quantitatem gradatim minue. Apud humiles qui vinum non possunt emere, cerevisia bona, felice exitu vicaria est. Cinchonam multi medici laude extulerunt, ob ejus vires febrem tollendi; casibus in mitioribus, ubi non affecti sunt pulmones vel caput, forsitan potest juvare; sed quando multum reactionis instat, signa morbida semper auget. Hujus medicinæ in febribus continuis utilitas a quodam medico Anglicano promulgata, a Doctore Gregory, in æternum deplorando, refutata est; et in secunda dissertatione dixit Doctor Fordyce: "The bark of cinchona, and probably all medicines that act in a similar manner, have no power of taking off fever when present, but only a power of preventing the return; or if they have any action on a fe-

ver when present, they tend to prolong it, and prevent a perfect crisis from taking place." Ex his opinionibus colligo, cinchonam præsertim utilem esse, quando e morbo ægrotus recreatur.

Opium ad inquietudinem mitigandam utile erit, quando morbus provectior est, et reactio minor; et si spasmi vel subsultus tendinum obveniant, me judice, moscho vel æthere melius est. Hæ sunt observationes Doctoris Currie:—Quando in febre opium adhibemus, si calor stadio naturali major sit, et cutis arida, sæpenumero calor et anxietas crescit; tamen nonnullis casibus videmus, etsi calor prætcr naturam surgit, quando cutis humescere incipit, opium diaphoresin properare, calorem imminuere, et sic quietem et somnum adducere. Dixit, haustum anodynum primo vesperi datum, non raro calorem et anxietatem crescere; quum tempore matutino circiter horam secundam vel tertiam adhibitum, diaphoresin et soporem adduxisse, quia vesperi exacerbatio maxima est, et mane subsidere incipit. Quando opium adhibitum est, et calor vehemens ejus vim salutarem obstat, ad affusionem tepidam

vel frigidam recurrere utile erit, namque sic corporis temperiem minues, somno sæpe sequente.

Camphor nonnunquam somnum affert, postquam nostram spem opium fefellit. Carbonas Ammoniæ, Spiritus Vini Gallici, et interdum doses Capsici, adhibeantur, si vis vitæ celeriter labet. Doctor Ferriar famam dissipat, solutionem arsenicalem, nonnullis casibus desperatis miro modo respondisse.

Tertium consilium, ad putredinem proclivitatem emendandi, explendum est, ventilatione ex aëris puri accessu æquabili in ægri cameram, usu potus acidulati, vini, et acidorum mineralium. Præterea, munditia assidue colenda, lintea toralia, aliaque crebro mutanda, et exinanitiones omnes diligenter et confestim removendæ. Quum homo jam convalescit, eum necesse erit prudenter evitare fatigationem, frigus, et victum concoctu difficilem; sed diæta lautior, vini usus modicus, et in rus ex urbe demigratio, cum usu balnei frigidi, quando tempestivum fuerit, vires cito redintegrabunt; etiamque nunc præcipue utilis erit cortex Cinchonæ.

Curatione febris nunc tractata, quantum hocce opusculum mihi facultatem daret, idoneum videtur pauca de Prophylaxi dicere: causa meis votis penitus potiundi, animo nequeo temperare, quin regulas præclaras Doctoris HAYGARTH inseram:

1mo, Quando munditia et aër purus, contra contagionem maxima præsidia sunt, semper necesse erit ostium cubiculi ubi jacet æger, præcipue in domiciliis pauperum, apertum esse; etiamque fenestram aperiri utile erit, quum advenæ cubiculum intrant.

2do, Lecti velum ductile non decet claudere, sed uno latere vultum ægroti ab luce nimis fulgente tueri.

3tio, Idoneum est, omnia lintea vel vasa frequenter mutanda, et confestim in aqua ponenda.

4to, Exinanitiones ægri instanter removendæ, et prope lectum pavimentum humido peniculo omni die bene fricandum.

5to, Medicos et alios qui ægrotis inserviunt oportet eorum halitum evitare, et pro tempore respirationem interdicendo contagionem possunt evitare.

6to, Cubiculum febricitantis inani ventriculo salutator non intraret; et abeundo, illum oportet quicquid salivæ in ejus faucibus sit exscreare.

Simul cum his rationibus, ægroti cubiculi vapore acidi nitrici, muriatici vel sulphurici, fumigatio, omnem contagionem extinguet. — Nunc valedico; et hasce studiorum primitias vobis, Lectores amici, committo, animo benevolo vos intueri sperans.

FINIS.